

1332. In festo Septem Dolorum B. M. V., permittitur expositio Matris dolorosae in Altari ¹.

1333. A Vesperis huius Sabbati cessant Commemoratio de Cruce et Suffragia Sanctorum, sed Preces ad Primam et Completorium dicuntur. In Officio de Tempore (non de Sanctis) omittitur *Gloria Patri* post Psalmum *Venite exsultemus*, et simul pars sequens Invitatorii, ita ut post Versiculum *Quadragesima annis* Invitatorium bis integrum dicatur, primo quidem totum a Choro, secundo autem partim ab Acolythis, partim a Choro. Omittitur etiam *Gloria Patri* in Responsoriis post Lectiones, cuius loco repetitur Responsorium usque ad Versiculum; item omittitur in Responsoriis brevibus Horarum et Completorii.

1334. In Missis de Tempore, non de festis nec in votivis, omittitur Psalmus *Iudica*, et *Gloria Patri* ad Introitum et *Lavabo*, et ad *Asperges* in Dominica. (In administratione SS. Viatici servetur Rituale.) Praefatio dicitur de Cruce usque ad Feriam quintam maioris Hebdomadae inclusive, etiam in festis Sanctorum et Missis votivis, nisi propriam habeant. In Missa de Feria, a Dominica Passionis usque ad Feriam quartam maioris Hebdomadae, Orationi diei additur altera *Ecclesiae* vel pro Papa, non exclusa tamen Oratione imperata. Si vero adest aliqua Commemoratio simplicis vel instar simplicis, praetermittitur Oratio *Ecclesiae* vel pro Papa.

1335. Dominica prima Quadragesimae, Passionis et Palmarum cum tota Hebdomada maiori reputantur tanquam primae classis, et excludunt quodcumque festum,

¹ S. Rit. C. 21 Mart. 1744, in Bergomen. ad 6.

etiam Patroni vel Titularis, seu Dedicacionis propriae Ecclesiae. In Ecclesiis tamen, ubi Dominica Passionis incidat titulus Ecclesiae, et concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, est ingens, potest celebrari Missa una solemnitas de festo, dummodo, si adest obligatio Chori, saltem una de Dominica celebretur: et dicitur in Missa de festo Psalmus *Iudica*, *Gloria*, *Credo*, item Praefatio de eodem festo, si propriam habeat, sine ulla Commemoratione, et in fine Evangelium S. Ioannis ¹.

1336. Officiis votivis ad libitum a SS. D. N. Leone XIII concessis non est locus tempore Passionis.

CAPUT VI.

DE HEBDOMADA MAIORI.

1337. Haec Hebdomada dicitur maior, quia sanctior est apud Fideles totius anni hebdomada, unde per antonomasiam Hebdomada sancta vocatur, quia maiora divinae erga nos charitatis monumenta in illa recoluntur.

1338. A Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive prohibentur Missae de Requie, excepta una solemnitas pro sepultura Defuncti, quae tamen in Coena Domini, in Parasceve, Sabbato sancto et in die Paschae dici nequit ².

1339. Item prohibentur Missae votivae privatae a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis

¹ S. Rit. C. 23 Aug. 1701.

² S. Rit. C. 11 Aug. 1736, in Placent.

inclusive. Missae votivae solennes, quamvis pro re gravi et publica Ecclesiae causa, prohibentur a Dominica Palmarum usque ad Feriam quartam post Pascha exclusive, et in Dominica in Albis. Festa occurrentia, quamvis sint primae classis, transferuntur.

§ I. — *De Dominica Palmarum.*

1340. In Altari ad sacras actiones huius Dominicae praeparanda sunt: Pallium violaceum; Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo vel legili; rami Palmarum, seu Olivarum aut aliarum arborum loco florum, inter candelabra ubi adsit consuetudo. — In credentia: Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei; Planeta et Manipulus coloris violacei; thuribulum et navicula cum thure; pelvis et urceus pro lotionem manuum cum manutergio; pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas; libri continentes recitanda in processione.

1341. Prope cornu Epistolae in plano praeparantur: mensa cooperta mantili albo, et super eam Palmae benedicendae; Crux processionalis tecta velo violaceo, et vitta violacea pro liganda Palma in summitate Crucis.

1342. Paratis omnibus, hora congrua Celebrans, id est Superior aut eius vice dignior ex Religiosis, in Sacristia, adiuvantibus Clericis, induit Amictum, Albam, Cingulum, Stolum et Pluviale violaceum. Interim unus ex Clericis cereos in Altari accendit.

1343. Mox Celebrans Crucem Sacristiae salutatur et tecto capite manibusque iunctis, pergunt cum Thuriferario deferente vas aquae benedictae, medius inter pri-

mo et secundum Acolythum, ad Altare, ubi facta genuflexione in plano, si adsit SS. Sacramentum, genuflexus in infimo gradu statim intonat Antiphonam *Asperges me*, et aspersionem aquae de more peragit.

1344. Post aspersionem aquae Celebrans medius inter Clericos, ut num. 1277, ascendit Altare ac illud osculatur in medio, deinde in cornu Epistolae alta et aequali voce absque Crucis signo, incipit Antiphonam *Hosanna* etc., quam Chorus prosequitur. Stans ibidem dicit manibus iunctis *Dominus vobiscum*, et deinde Orationem: *Deus, quem diligere* etc. Dum Celebrans Orationem cantat, primus Acolythus, sumpto a credentia Missali, accedit ad medium Altaris, et facta ibi genuflexione, post Celebrantem se statuit in plano, et responso a Choro *Amen*, legit tono Epistolae Lectionem, quam una cum Graduali Celebrans demissa voce legit.

1345. Praemisso eodem loco, more solito: *Munda cor meum* et *Iube Domine* etc., legit Evangelium, et osculatur illud in fine. Deinde dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem et Praefationem, tenens semper manus iunctas, tam ad haec, quam ad subsequentes Orationes. In fine Praefationis Celebrans dicit cum suis Clericis: *Sanctus, Sanctus* etc., signans se ad *Benedictus*. Dicto similiter a Choro *Sanctus* Celebrans, praemisso *Dominus vobiscum*, subiungit quinque alias Orationes.

1346. Interim Thuriferarius ponit ignem in thuribulo, et accipit naviculam. Dum dicitur quinta Oratio, secundus Clericus, facta genuflexione Altari, accipit e credentia vas aquae benedictae, et una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem. Celebrans, ministrante primo Clerico, imponit incensum in thuribulo cum be-

nedictione et osculis. Deinde ter aspergit Ramos, dicens submissa voce: *Asperges me* etc. sine Psalmo, ac demum eosdem thurificat. Deinde Celebrans dicit iterum *Dominus vobiscum*, et sextam Orationem. Thuriferarius deponit thuribulum, et secundus Acolythus stat ad sinistram Celebrantis.

1347. Dicta Oratione ultima, Thuriferarius accipit e credentia Palmas pro Celebrante et Fratribus, et collocat super Altare. Celebrans, facta reverentia Cruci, adit medium Altaris, ubi facie ad populum conversa, stans accipit a digniore de Choro Ramum benedictum, hunc tantum et non manum tradentis deosculans, ipsumque Ramum alicui Acolythro servandum tradit.

1348. Tunc Celebrans, dum cantatur a Choro Antiphona: *Pueri Hebraeorum*, Ramos distribuit primum digniori, a quo ipsemet accepit, deinde caeteris Fratribus ac populo, qui omnes genuflexi, excepto Praelato, Ramum et eius manum osculantur.

1349. Completa distributione, Celebrans lavat manus in plano Epistolae, Clericis ministrantibus. Deinde dicit in cornu Epistolae: *Dominus vobiscum*, et ultimam Orationem. Interim Thuriferarius apponit et firmat vitta violacea unam ex Palmis in summitate Crucis processionalis. Completa Oratione, accedente Thuriferario, incensum iniicit in thuribulum more solito. Tum ad medium Altaris pergit, ibique sistit donec ordinetur processio. Primus Acolythus porrigit Celebranti et secundo Clerico Palmas et Rituale pro recitandis in processione.

1350. Celebrans, tenens Palmam in manibus, vertit se ad populum et dicit: *Procedamus in pace*, et Chorus

respondet: *In nomine Christi. Amen.* Celebrans inchoat: *Cum appropinquaret* etc. Tum fit processio, in qua praecedit primo loco Thuriferarius, hinc Clericus cum Cruce inter duos Ceroferarios; sequuntur Fratres Palmas manu sustinentes, ultimus omnium Celebrans inter duos Clericos, recitans alternatim cum Choro alta voce Antiphonam: *Cum appropinquaret* etc., et aliam: *Cum audisset populus* etc. cum reliquis, vel omnibus vel in parte, quousque durat processio.

Antiph. *Matth. 21. Cum appropinquaret Dominus Ierosolymam: misit duos ex discipulis suis, dicens:*

Ite in Castellum, quod contra vos est: et invenietis pullum asinae alligatum, super quem nullus hominum sedit.

Solvite: et adducite mihi.

Si quis vos interrogaverit, dicite: opus Domino est.

Solventes adduxerunt ad Iesum: et imposuerunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.

Alii expandebant vestimenta sua in via: alii ramos de arboribus sternebant.

Et qui sequebantur clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.

Benedictum regnum Patris nostri David: Hosanna in excelsis, miserere nobis, fili David.

Alia Antiph. *Cum audisset populus, quia Iesus venit Ierosolymam: acceperunt ramos Palmarum.*

Et exierunt ei obviam: et clamabant pueri, dicentes:

Hic est: qui venturus est in salutem populi.

Hic est salus nostra: et redemptio Israel.

Quantus est iste: cui Throni et Dominationes occurrunt.

Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi, sedens super pullum asinae: Sicut scriptum est.

Salve Rex fabricator mundi: qui venisti redimere nos.

Alia Antiph. Ante sex dies sollemnis Paschae: quando venit Dominus in civitatem Ierusalem.

Occurrerunt ei pueri: et in manibus portabant ramos Palmarum.

Et clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis.

Benedictus, qui venisti in multitudine misericordiae tuae: Hosanna in excelsis.

Alia Antiph. Occurrunt turbae cum floribus et Palmis Redemptori obviam: et victori triumphanti digna dant obsequia.

Filium Dei ore gentes praedicant: et in laudem Christi voces tonant per nubila: Hosanna in excelsis.

Alia Antiph. Cum Angelis et pueris fideles inveniamur: triumphatori mortis clamantes: Hosanna in excelsis.

Alia Antiph. Turba multa, quae convenerat ad diem festum, clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

1351. Processio sequatur partem dexteram portae et redeat ante ipsam, ubi sistet. Duo vel quatuor Choristae maneant in Ecclesia, et egressa processione, fores claudant. Clericus cum Cruce sistat in limine cum Ceroferariis et Thuriferario, reliqui per ordinem; Celebrans in medio adversus portam. Hinc Choristae, qui sunt intra Ecclesiam, versa facie ad processionem, incipiunt:

Ÿ. Gloria, laus, et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor: cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Celebrans autem (cum aliis) extra Ecclesiam tecto capite, repetit:

Gloria, laus, et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor: cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Cle. Israel es tu Rex, Davidis et inclyta proles: Nominis qui in Domini, Rex benedicte, venis.

Cel. Gloria, laus etc.

Cle. Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis: Et mortalis homo, et cuncta creata simul.

Cel. Gloria, laus etc.

Cle. Plebs hebraea tibi cum Palmis obviam venit: Cum prece, voto, hymnis, adsumus ecce tibi.

Cel. Gloria, laus etc.

Cle. Hi tibi passuro solvebant munia laudis: Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.

Cel. Gloria, laus etc.

Cle. Hi placere tibi, placeat devotio nostra: Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

Cel. Gloria, laus etc.

1352. Quibus expletis, Crucifer leviter percutit portam ima parte hastae Crucis; Choristae qui sunt intus Ecclesiam, portam aperiunt et sistunt se hinc inde ad ianuam. Clericus cum Cruce ingreditur Ecclesiam, praecedente Thuriferario, hinc omnes per ordinem; et Celebrans subsequendo incipit Responsorium: *Ingrediens Domino etc.*, quod alternatim prosequuntur omnes.

Ingrediens Domino in sanctam Civitatem: Hebraeorum pueri resurrectionem vitae pronuntiantes;

Cum ramis Palmarum: Hosanna clamabant in excelsis.

Cumque audissent, quod Iesus veniret Ierosolymam: exierunt obviam ei.

Cum ramis Palmarum: Hosanna clamabant in excelsis.

1353. Terminatur processio et Responsorium ante Altare maius. Crucifer deponit Crucem et deinde recipit Palmas a Celebrante. Celebrans deponit Pluviale in plano Epistolae, et accipit Manipulum et Planetam. Primus Clericus portat Calicem ad Altare, et expanso Corporali, in medio eius illum collocat et aptat.

1354. Celebrans procedit ad Missam celebrandam, in qua Clericus, Missae inserviens, poterit tenere Palmas in manibus, dum legitur Passio, quae legitur, uti in Missa privata, in cornu Evangelii. In fine Missae legitur Evangelium S. Ioannis: *In principio* etc.

1355. Completa Missa, Celebrans redit in Sacristiam, et ibidem deponit sacra paramenta, et gratias agit. Clerici ex Altari et credentia resumunt omnia, et suis locis recondunt.

1356. Si SS. Sacramentum expositum sit, v. gr. in Oratione XL Horarum, benedictio Palmarum facienda est in alio Altari diverso ab eo, in quo SS. Sacramentum est, sed absque processione¹.

1357. In fine Missae privatae, imo et in solemnibus, in qua non benedicuntur Rami, legitur Evangelium ex benedictione Palmarum.

1358. Dum dicitur Passio, non extinguuntur cerei Altaris, tam in privata, quam in solemnibus Missa.

1359. Qui benedicit Ramos, debet etiam celebrare Missam sequentem².

¹ S. Rit. C. 17 Septemb. 1822.

² S. Rit. C. 15 Sept. 1840, in una Civit. Castell.

1360. Praedictae functiones licite fiunt in omnibus Ecclesiis publicis, neque possunt a Parochis impediri, sicuti etiam benedictiones Candelarum et Cinerum¹.

§ II. — *De Matutino Tenebrarum.*

1361. Pro Matutinis solemnibus Tenebrarum Feria quarta, quinta et sexta Hebdomadae maioris, Altare manet absque floribus ac Sanctorum imaginibus, Reliquiis seu staturis, et pro Matutino Feriae quartae (reliquis Feriis Altare est denudatum) ornetur pallio violaceo. Super illud candelabra sex apponuntur, ac totidem cerei ex cera communi². In medio Crux prima et secunda die velo violaceo tecta, tertia detecta. A latere Epistolae, ante Altare, in plano Presbyterii praegrande paratur candelabrum triangulare, in quo quindecim candelae ex cera pariter communi gradatim depositae infiguntur.

1362. Hora congrua, remoto a maiori Altari SS. Sacramento, si commode fieri potest, Feria IV ad secundum campanae signum, Completorium, more solito, dicitur demissa voce. Circa finem tertium datur signum pro Matutino Tenebrarum. Ad initium ultimi signi, accendit Sacrista simul cum cereis Altaris quindecim candelas triangularis candelabri, incipiens in cuspide, prius a parte Evangelii, deinde a parte Epistolae.

1363. Completorio de more expleto, assurgunt omnes ad nutum Superioris, et dictis ab omnibus secreto *Pater, Ave* et *Credo*, ipse incipit Antiphonam: *Zelus domus*

¹ S. Rit. C. 10 Decemb. 1703.

² Caeremoniale Episcop. I. II, c. XXII, n. 4.

tuæ etc., ad quam et ipse et alii signo Crucis se signant. Psalmodia cum gravitate, devotione et inflexione vocis in fine cuiusque Psalmi, Antiphonæ, Versiculi, Responsorii et Lectionis peragatur.

1364. Post unumquemque Psalmum Matutini et Laudum extinguitur una candela ex quindecim candelis positis in triangulo, incipiendo ab infima, hinc a parte Evangelii, et sic a parte Epistolæ¹ alternatim; decima quinta, quæ est in cuspide candelabri, remanet accensa.

1365. Lecturi vel cantaturi Lamentationes cum litteris alphabeticis Hebraeorum, devotissime cantent. In principio Lectionum non petitur benedictio, nec in fine dicitur: *Tu autem Domine.*

1366. Laudes Superior absolute incipit signo Crucis, intonans primam Antiphonam. Ad *Benedictus*, Sacrista extinguit lampades, quæ sunt in Ecclesia, illa excepta, quæ ardet coram SS. Sacramento; interim pariter extinguuntur sex candelæ in Altari positæ per sex ultimos versus eiusdem Cantici, incipiendo ab extrema quæ est in cornu Evangelii: extinguitur hinc extrema, a parte Epistolæ, et sic alternatim ad quemlibet versiculum, ita ut ad ultimum versum extingatur, quæ est prope Crucem in cornu Epistolæ.

1367. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus*, Sacrista candelam, quæ in triangulo accensa manet, tollit, et elevata manu sustinet super cornu Epistolæ Altaris usque ad finem Antiphonæ, et statim illam sic accensam abscondit retro Altare. Amoto lumine, gravi

¹ Caeremon. Episcop. l. II, c. XXII, n. 7.

voce intonat Superior, et Chorus prosequitur: *Christus factus est* etc., et omnes genuflectunt. Quo finito dicitur: *Pater noster*, totum cum silentio, moxque Psalmus *Miserere* flebili voce canitur. Post Psalmum, Superior genuflexus permanens ac caput paululum inclinans, recitat Orationem: *Respice, quaesumus*, et in fine dicendo *tormentum*, vocem parumper deprimit, secreto complens: *Qui tecum vivit et regnat* etc. Qua finita, fit modicus strepitus, donec Sacrista candelam prædictam accensam, quæ fuerit abscondita, in medium proferat, et statim cessabit. Triangulum removetur et reponitur. Haec omnia servantur in duobus quoque sequentibus Matutinis.

1368. Matutinum his tribus diebus terminari debet sole occidente, ut mystica significatio repræsentetur, id est occasus Solis Iustitiæ, qui est Christus Dominus, et significantur gentis iudaicæ tenebrae in mundi Servatorem negando et crucifigendo.

§ III. — De feria V in Coena Domini.

1369. Pro hodiernis functionibus persolvendis, præparari debent in Altari solemniter ornato et pallio albi coloris contexto, dimisso violaceo post Nonam: Crux inter candelabra, tecta velo albi coloris, cui superpositum aliud sit coloris violacei, amovendum facile post Nonam: Missale super pulvino albo sive legili in cornu Epistolæ.

1370. In Credentia: Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi et duplici hostia; alius Calix amplus cum palla, Patena, velo albo, et ligula serica albi coloris; Pyxis cum particulis consecrandis ad Communionem